



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

S. Waltgerus Comes Hervordiae & ibidem Fundator Illustrissimi Virginum
Canonicarum Collegii

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

Subjectis vitæ tribuens exempla beatæ

Ecclesiæ cunctas amplificavit opes.

Nunc te Christe piæ videat, quem semper a-

(maruit,

Vt dextris illam consociet oribus.

III. NON. MART. OBIT.

S. WALTGERUS

Comes Hervordix, & ibi-

dem Illustrissimi Virginum Canonica-
rum Collegii primus fundator.

Refertur cum titulo Sancti à Bollandò in Act.
SS. 10. 1. Januarii in addendis ad vitam B. Gode-
fridi Comitæ Capenberg. pag. 1111. col. 2. ubi su-
inquit: Tertium (Hervordix) Collegium,
cujus Abbatisa in omnem clerum jurisdictionem exercet, fundavit S. Waltgerus, cujus
vitam dabimus 16tâ Novembris. Petro Ca-
niso in Martyrol. germanico ad diem 16 Novem-
bris, ubi ita scribit: Item zu Erffordt (corri-
ge Herforde) in Paderborner Landschaft
(id est Diœcesi) des H. Beichtigers Waltgeri /
der ein Stifter war der Kirchen zu unsern lieben Frauen daselbst. Wernerò Role-
winck l. 3. de moribus Westphal. c. 8. Ferrario

in generali Catalogo Ss. Heriberto Rosveido in
 fastis SS. Nicolao Schatento. 1. Annal. Paderb.
 & aliis. Item cum titulo Beati à Theodoro Rhay
 in Anim. illustr. Gelenio in sacris fastis Agrip-
 pin. Tolano in Additionibus ad Martyrol. Vsu-
 ardi ad diem 16 Novembris, ubi inquit: In West-
 phalia B. Waltgeri Confessoris, fundatoris
 Ecclesiæ nostræ Dominæ in Hervordia. Vi-
 ta ejus reperitur in libro vetere Lovanii aō 1485
 in domo Ioannis de Westphalia impresso, & opera
 Antonii Liberi Susatensis compilato, cui nomen
 Legenda aurea, sive Historiæ plurimorum
 Sanctorum noviter & laboriosè in unum col-
 lectæ: ex quo, uti & ex Turckio, Schateno &
 aliis hæc pauca à nobis deprompta sunt. Vocatur
 ab aliis Wolderus, Walderus, & Walterus.
 Fuit Comes Hervordia, uti testatur Meibomius
 in notis ad Cosmodrom. Gobelini Persona etate 6.
 c. 47. Chronicon Mindense apud eundem Mei-
 bom. pag. 97. Imhof in Notitia Procer. l. 3. c. 29.
 n. 15. Theod. Rhay aliq; Comitatus sedes di-
 citur fuisse in monte Düirenberg, quem alii De-
 renberg & Darnenberg vocant, loco Bilefeldiam
 inter & Ravensbergam sito, de quo videri potest
 Schaten in Histor. Westphalia pag. 541. Tur-
 ckius in hist. Ms. ad annum 789, & alii. Avus
 ejus Adolphus jam ante Widekindi tempora à S.
 Boni-

Bonifacio in Frisiam profecturo lustralibus undis
 ablutus est teste eodem Schateno & Turckio. Pa-
 trem habuit Deddam, vel ut alii, Waldericum
 Deddam; Matrem verò Etwi, quod Schaten to.
 1. Annal. pag. 79 Evam, nos verò Hedwigem
 interpretari malimus. Collegium Herivordense
 Virginum Canoniarum cœpit condere anno 789,
 ad quem illud referunt Schaten. Turck. Chronic.
 Mindense & Meibomius in notis ad l. i. Annal.
 Wittichindi pag. 56. Prima hoc loci Abbatissa
 non fuit Tetta, quemadmodum opinatus est Scha-
 ten to. 1. Annal. pag. 80; sed Swala S. Waltgeri
 consanguinea. Verisimile tamen est illam fu-
 isse Abbatissam 2dam & Swale succedaneam.
 Sic enim colligere licet ex diplomate Ludovici P.
 Imperatoris citato apud eundem Schaten ad anni
 838, ubi ita legitur: Quoddam Monasterium
 vocabulo Herivorth, quod præsentis tempo-
 re Venerabilis Tetta Abbatissa regere digno-
 scitur. Est & aliud Herivordie Virginum Colle-
 gium ad visionem appellatum & tempore B. Meit-
 werci conditum, de quo paulò post infra vitari
 S. Waltgeri.

Cunas Natalitias S. Waltgerus habuit in
 monte Dürenberg proavorum suorum
 per vetusta sede, ubi à parentibus nobilissimis
 Christianisq; patre Dedda & matre Hedwige
 in lu-

in lucem fusus ad omnem virtutis ac morum
 honestatem sanctissimè adolevit. Ejus avus,
 cui nomen Adolpho fuisse memorant, con-
 stanti majorū scriptorūmq; traditione inter
 eos Westphaliæ Nobiles recensetur, qui jam
 olim à S. Bonifacio, cū per has terras in Fri-
 siam iter faceret, lustralibus undis abluti, at-
 que ad legis Evangelicæ disciplinam refor-
 mati sunt. Inde fides eadem derivata est in
 hujus Adolphi filium & S. Waltgeri genito-
 rem Deddam, vel ut aliis appellare placet,
 Waldericum Deddam, qui tametsi in illa
 Widekindi & Saxonum pro suis aris dimi-
 cantium turbulenta tempora incidisset, sus-
 ceptæ tamen religionis integritatem unà
 cum sua conjugē constanter tenuit, quan-
 quam secretò forsitan, ne per hostiles tumul-
 tus bonorum suorum ac vitæ jacturam face-
 ret. Neque ab hac parentum pietate discor-
 dabat Waltgerus filius. Non illū claritas illu-
 strissimi generis, non Comitatus avari splen-
 dor ac dignitas, non amplissimæ, quas circa
 Hervordiam possidebat, facultates ad luxum
 & superba voluptatum lenocinia inclinare
 poterant. Imò quò majoribus illum bonis
 fortunisque cœlum auxerat, tantò ampliùs pro-
 culcabat terrena omnia, secum assiduè vol-
 vens

vens illud Citharædi [a] vatis : *Beatus vir,*
cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit
in vanitates & insanias falsas. Widekindo
 Westphalorum Saxonumve Duci post am-
 plexum Catholicæ fidei arctissimo amoris &
 amicitia vinculo conjunctus fuit. Ejus hor-
 tatu & exemplo Ecclesiam Hervordiensem
 condidit unâ cum antiquissimo Perillustrium
 Dominarum Collegio, quod ibidem intra
 muros positum, nunc quidem sub Acatoli-
 corum manibus ingemiscit; olim verò sub
 fidei orthodoxæ cultu sanctissimarum mulie-
 rum illustre Seminarium fuit. Initium huic
 foundationi dedit annus à Christo nato 789
 quo tempore cum post utriusque parentis fa-
 ta opulentæ Waltgerum nuptiæ expecta-
 rent, rebus omnibus pro Deo spretis maluit
 intacta carne Agnum immaculatum sequi, &
 illi virgineo corde se suâq; prædia consecra-
 re; quàm libertate vendita terrestri matri-
 monii vinculis in mundo irretiri. Itaque in
 preces versus ardentissimis suspiriis Deum
 obsecrabat, animum sibi esse ejus ac Deiparæ
 Virginis honori templum extruendi, sum-
 ptus ad fabricam requisitos non deesse, bona
 ac facultates suas omnes eodẽ fine à se offer-

[a] Ps. 39. 5.

ri; locum ipse duntaxat indicet, ubi ex ejus
 nutu ac voluntate cogitati operis fundamen-
 ta jaceret. Placebant cœlo vota : vix enim
 fuisse corpore iterum consistebant lassî à
 precandò poplites, cùm ecce nivei candoris
 vacca sese videndam objicit, quæ cereum ar-
 dentem cornu utroque præferens Waltge-
 rum anteit, locúmque signat, quem sibi pro
 stituendo ædificio cœlum delegisset. Acce-
 leratæ tunc statim fuere meditatæ molis ef-
 fectrices operæ, admotæ arboribus secures,
 faxis scalpra, fundamentis eruderandis rutra
 & ligones; stetitque intra breve tempus tota
 fabrica eo in loco, ubi adhuc Sacellum S.
 Waltgeri opere solido ac vetusto cernitur
 cum hac inscriptione in arcu fornicis superi-
 us exarata : [a] *Princeps hujus terræ Waltgerus*
fundator Ecclesiæ Hervordiensis. Inde jam por-
 rò ad præsidia & opitulationes cœlitum ani-
 mo converti cœpit, secúmque volvere, quâ
 tandem è provincia insignes aliquas Sancto-
 rum reliquias in Ecclesiam à se conditam im-
 portare posset. Occurrebat in primis An-
 glia quondam Sanctorum ferax, & fiduciam
 impetrandi non parùm augebat Regis beni-

A a 2

gnitas,

[b] *Turck. Schaten. Imhoff in notitia Procerum*
 l. 6. 29. n. 15.

gnitas, cujus propensam in se voluntatem jam ante hæc tempora non uno indicio expertus fuerat. Quamobrem depositâ suâ nobilitatis trabeâ, baculôq; solum & habitu viatorio instructus eodê proficiscitur, explicatîsq; animi sui propositis submissè obsecrat, ut è plurimis, quæ ibidem requiescerent, S. corporibus saltem aliquod Ecclesiæ suæ donarium fieret. Non erat ad hæc petita Rex difficilis, præterq; alia Divorum lipsana, quibus hospitem sibi charissimum honoris causâ impertire placuit, etiam exuvias S. Oswaldi quondam Anglorum Regis Martyrisq; in xenium obtulit, unâ cum ense & gladio, quæ ab eodem Sancto contra hostes Christiana fidei usurpata fuerant. Quis tunc Waltgero lætior, quem accepta pignora suomet judicio reddebant magis divitem, quàm suorum proavorû opes ac fortunæ? continuò post præmissas Regi gratias festinatum iter relegit in patriam, constructôq; 14 Virginum Deo sacratarum Collegio census omnes ac facultates suas Deo tradidit, nullâ realia sibi suisq; usibus reservatâ, quàm præbendis, ut vocant, geminis, è quarum proventibus voluntarius pro Christo pauper vitæ præsentis incommoda honestè tolerare posset. Prima ibidem
Abba-

Abbatissa ab eo constituta est Swala ipsius
 consanguinea, & summæ nobilitatis prudenti-
 tiæq; foemina, cujus sapienti gubernatione
 novus parthenon statim ab omniū virtutum
 ornamentis resplendere cœpit; neque jam
 aliud ad perpetuam illius Ecclesiæ incolumi-
 tatem deerat, quàm defensio ac tutela Cæsa-
 ris, qui eam contra vultureos hostium futu-
 rorum unguis suo diplomate præmuniret.
 Fluebat tunc annus à Christo nato 819, & Lu-
 dovicus Pius, qui post Carolum M. regno
 Germaniæ præerat, in sextum jam annum
 Cæsar frequenter agebat in Westphalia, ut
 regioni haud pridem subjugatæ consultius
 prospicere è propinquo posset. Ad hunc pe-
 destri se itinere & obsoleto viatoris habitu
 Waltgerus contulit nihil ambigens, quin ab
 eo votis ac petitioni suæ sit omnino futurum
 satis. Venientem ut vidit Cæsar, mirari pri-
 mò & mendicum credere; mox etiam, ut
 Waltgerum esse de propinquo didicit, ab eo
 percontari, quam ob causam tam spectatæ
 nobilitatis vir tam vulgari ac plebea veste se
 præsentem sisteret? *Unicam ego*, reponebat
 Waltgerus genu flexo, *unicam mi Imperator
 filiam habeo Ecclesiam Hervordiensem, in quam
 facultates meas omnes potissimum ex parte contuli.*

Peto, ut eam Cæsarea auctoritate tua conserues,
 & quidquid tenuitati meæ pro ulteriori ejus sub-
 sidio defuturum videris, è thesauris opulentia tua
 liberaliter subministres. Annuit humilibus po-
 stulatis Cæsar, statimq; Collegium istud non
 modò Imperatoria protectione sua perpetuò
 communitum voluit, sed etiam eadem illi
 jura & privilegia contulit, quibus Collegium
 Sueffionense Virginum gaudebat in regno
 Franciæ. Exinde religio Romano-Catho-
 lica, suprâ, quàm dici potest, Hervordix flo-
 ruit, tantòq; pietatis fructu ibidem cœpta est
 mulierum devotarum virtus excoli, ut innu-
 meræ non modò virorum nobilissimorum
 sed & Principum Comitumq; filix eò certa-
 tim confluerent, per contemptum rerum hu-
 manarum soli Deo sacris in officiis servituz.
 De cæteris S. Waltgeri virtutibus quid addi
 breviter? Post curas in prædicta fundatione
 positas, quod reliquū vitæ egit, non alia in re
 quàm in rerum spiritualium usu & exerciti-
 o trivit. Totum ejus studium erat vigiliis &
 orationibus semper insistere, carnem jejunis
 & abstinentiâ frangere, sensibus & appetitui
 frœnum admovere, oppressis & afflictis sub-
 sidium ferre, terrena despiciere, cœlestia con-
 templari, mundo mori, Deo vivere, atque ad
 illum

illum super omnia diligendum assiduis meditationum flabris charitatis ignem accendere. Quidquid hic orbis offerebat gaudii, nolebat attingere; quidquid in cælo spondetur gloriæ, studebat consequi: & quia non nisi per mortis januam ad æterna præmia pervenitur, unicum illi desiderium erat, carnis humanæ vinculis repenti expediri, & aversos à deliciis perituris oculos in mortem optatam claudere. Adducebat hanc tandem febris calida, quæ cum in dies singulos magis magisque ingravesceret, viatico Dominici corporis aliisque Ecclesiæ Sacramentis maturè præmunitus vitæ mortalis cursum sine beato coronavit 16 Novembris anno 825. Corpus ejus inter missarum solennia sepulchro datum est Hervordix in Ecclesia ab eo condita: ubi quàm crebris olim miraculis signisque fulserit, videri potest partim in ejus vita olim impressa Lovanii, partim apud Henricum de Hervordia familiæ Dominicanæ Sacerdotem & historiæ universalis ab orbe condito scriptorem integerrimum. Unum duntaxat alterumve lubet hinc attexere, ne quis aut nimix taciturnitatis nos arguere, aut immodicæ prolixitatis accusare possit. Filium Matronæ nobilis, cui nomen Bebeca, truculenta incur-

fione lupus abripuerat. Mater cœlestis auxilii per S. Walgerum sæpius impetrat. Amor continuò ad ipsum confugit, manusq; supplices in cœlum tendens orat obsecratq; ut eâdem beneficentiâ, quam aliis nosi semel experiundam dederat, etiam sibi suoq; filio præsidium ferat. Nec fefellit precantem suam, quam conceperat spes & fiducia. Nam ut postea ex ore ipsiusmet pueri compertû est, lupus illum eâdem horâ non modò suis iterû excussit dentibus; sed etiam sollicitudine velut materna triduo custoditum genitrici reddidit sine omni plaga ac cicatrice, ex qua vel minimæ læsionis vestigium appareret. Hæc aliâq; id genus prodigia cum subinde sive in hominibus, sive in aliis animantibus multa fierent, ausus est blasphemus civis impias in hunc Sanctum voces jacere; omnes eos, qui ejusmodi eventus miro de eo spargerent, nugatores dicere, quippe qui nil aliud agerent, quàm fumos vendere, & hominum malè credulorum ora anilibus fabulis inescare. Non tulit hanc injuriam vindex malorum Deus. Nocte proxima enatis circa partes secretiores pustulis tam horrendus hominem dolor cœpit exurere, ut imploratis frustra medicorum pharmacis intrâ breve tempus penè
ad

ad mortis ostia se deductum cerneret. Quid ageret in his angustiis infaustus civis? Advertebat facile, unde & quo ex fonte tam pestilens sibi malum flueret: nimirum talionis hanc poenam esse, quam Deus posceret pro S. Waltgeri gloria temerariis à se verbis lacera- ta. Quapropter injuriæ nuper illatæ poeni- tens calidissimis precibus Viri Sancti patroci- nia pro se postulat, spondens promittensq; cum recepta sanitate peculiari semper devo- tione à se cultum & invocatum iri. Quo per- acto abiit extemplo dolor, ruptoq; aposte- mate correctus civis intra dies paucos sanita- tem retulit.

APPENDIX

Ad fundationem Collegii
Hervordiensis.

CÆterum ne qua confusio hic suboriri possit, præter Collegium hoc olim à S. Waltgero conditum intrà Hervordiam ad- huc aliud ibidem aspicitur extra urbis illius mænia in colle proximo, quod vulgò *das Stift auf dem Berge* / aliàs *ad S. Crucem*, vel etiam *ad visionem* dicitur. Primum mo- derno tempore illustrium duntaxat Domi-
narum

narum est , sive solarum Comitum Principumq; , cujus Abbatissa ad Collegium Prelatorum Imperialium pertinet, habetq; jurisdictionem in omnem Clerum. Alterum quod in Ecclesiasticis Abbatissæ modò nominatae subjacet, est nobilium Canonissarum sæcularium, conditumq; Sæculo undecimo, quo Beatissima Virgo locum hunc prodigiosa apparitione suo cultui dedicatum voluit. Re totius seriem ex vita B. Meinwerci apud Browerum & continuatores Bollandi ita Scriptores referunt. Anno 1011 festo Ss. Gervasii & Protasii ibat Hervordiam homo pauper & famelicus, ut ibidem in Collegio Virginum, quod à munificentia satis commendatum erat, aliquod egeltatis suæ subsidium caperet. Appropinquanti ad urbis mænia offert se Depara Virgo, facièq; ad omnem venustatem composita: *Vade, inquit, ad Abbatissam & Sorores ceteras ejus Monasterii, meoq; nomine illas commonefacito, ut mutata in melius vitâ pristina tantum spirituali insistant exercitio, quantum temporali insudant edificio: id enim si effecerint, Collegium istud meo rursus in tutela fore & stabili deinceps patrocinio fruiturum. Mox etiam predictis adjicit, locum hunc, in quo ego nunc tecum loquor, ad venerationem mei nominis & exaudi-*

dien-

dies das hominum Christianorum preces à me ele-
 ctum esse : oportere hic templum & aras statui,
 ut si quis ibi fideliter me quaesierit, inveniatur, &
 quod justè petierit se adeptum gaudeat. Hæc
 attonitus ad hæc verba pauper, & quis ego
 tandem, inquebat, ut ista à te denunciare aude-
 am? aut quomodo credetur mihi, cui verbera
 pro fide erunt, nisi aliquod mihi signum dederis,
 unde legatio mea speciem veritatis capiat? Nihil
 metuas, reponcbat Virgo: quidquid à te pœna-
 rum exigent, dolorem non senties: super prunas
 ambulabis ut rosas, & candentes vomeres attre-
 ctabis ut lilia. Quòd si autem & huic signo fides
 astructa non fuerit, precide baculum, quem manu
 gestas; effinge eo signum crucis, illudq; in eo loco,
 ubi meis nunc consisto pedibus, trunco infigito, vi-
 debunt me, si ad explorandam rei veritatem huc
 advenerint, sub columbæ specie hac ipsa in cruce
 confidentem. His ille confusus ad Abbatissam,
 cui nomen Godesti erat alloquii causâ admit-
 ti postulat, Virgines ejusdem Collegii socias
 eodem convocat, totam rei gestæ aliorumq;
 dictorum seriem pro sua simplicitate intrepide
 & audacter aperit. Illæ non minùs novi-
 tate facti, quàm referentis constantiâ percul-
 sæ B. Meinwercum Episcopum Paderbor-
 nensem (cujus Ecclesiasticæ jurisdictioni lo-

cus

cus iste suberat) aliosq; vicinorum Monasteriorum Clericos ac Præpositos confestim advocant, ut collatis invicem consiliis prudenter exquirerent, an & quantum huic apparitioni & hominis denunciantis testimonio confidi debeat. Omnium sententiæ eò reciderunt, hominem hunc pro istius ævi consuetudine primùm aquâ fervidâ & candenti ferro probandum esse: tum videndum porò, num columba aliqua ejus baculo in crucem conformato è cœlis illapsura esset. Utroque hoc judicio triumphavit homo innocens: nam & ferrum candens illæsis gestavit manibus, & columba in cruce super truncum defixa palàm considerare visa est iis omnibus qui veritatis explorandæ causâ ab Episcopo missi erant. Tum verò dici vix potest, quanta inter omnes gratulatio exorta fuerit, quo fervore & affectu animi omnium studia conversa sint in locum Deo consecrandum? adeò ut intrâ breve tempus basilica, quæ à S. Cruce nomen retinet, ibidem steterit, & sexennio post à B. Meinwercio solennibus cæremoniis dedicata sit, quemadmodum adhuc testatur vetus hæc inscriptio: *Anno MXI die Ss. Gervasii & Protasii hanc visionem gloriosissima Virgo Maria per quendam pauperculum devotissima*

simile memoria pastorem Abbatissa Herwordiensi
rebetare, & manifeste ostendere dignata est tem-
pore S. Meinwerci Episcopi Paderbornensis, qui
& hanc visionem per varias examinationes pro-
bavit & approbavit, & hunc locum ad honorem
ejusdem S. Dei Genitricis Mariae consecravit. Il-
lustratus deinde hic locus est insigni Mona-
sterio sacrarum Virginum, quod modò ejecta
religione Catholica à Lutheranis quibusdam
Virginibus insidetur; visiturq; adhuc sub in-
gressum chori truncus ille in cujus superfixa
cruce Beatissima Virgo se spectandam dedit.

WARINUS

Monasterii Corbeiensis

ad Visurgim Primus
Abbas.

*Habetur inter Sanctos in Monasterio Corbei-
ensi, ubi in ara Principe inter alias indigetum Di-
vorum imagines ejus statua collocata est, cum hac
inscriptione: S. Warinus Abbas Corbeiensis.
Mentionem quoque illius facit Papebrochius in
Actis SS. die 2da Junii ad vitam S. Stephani E-
piscopi & Martyris, olim Corbeiensis Mona-
chi pag. 234. n. 15. Natus est illustrissimis piis-
simisq;*